



1772, 6 345 7
IOACH. ERDMANN SCHMIDT, D.

ORDINIS ICTORVM H. T. DECANVS

PROGRAMMA

DE

EPISCOPIS VILLANIS
A CAROLO M. PROHIBITIS,

QVO

VIRI PRAENOBILISSIMI

NICOLAI GERHARDI FEYGA,

HAMBVRGENSIS

DISPVATIONEM INAVGVRALEM

DE

IYSTITIA POENARVM CAPITALIVM PRAESERTIM

IN CRIMINE FVRTI PERICVLOSI ET TERTII

SECVNDVM CONSTITVTIONEM CAROLINAM ET

IVS HAMBVRGENSE

DIE XVIII. IANVARI

SVB PRAESIDIO

VIRI PERILLVSTRIS

IO. AVG. HELLFELD

IN AVDITORIO ICTORVM HABENDAM

INDICIT.

JENAE, LITTERIS MAVKIANIS
C1772.

IOACHIM ERDMANN SCHMIDT D.

P. R. O. S. T. A. M. M. A.

EPISCOPUS VII. LANIS
A. C. A. R. D. O. M. P. R. O. H. I. B. I. T. I. S.

ALLEGORIE GERHARDI TETZEL

DISPUTATION MINISTRIUM

IN QUO GERHARDUS TETZEL
DE SACRAMENTO EUCCHARISTIE
ET DE ALIIS REBUS
DISPUTAT AUCTORITATE
SACRATA

IO. AVON H. T. E. L. D.

W. B. A. R. T. H. A. N. I. S. I. A. M. A. R. T. I. S. I. A. M.






S. H.



Magnae de episcopis villanis, qui etiam chorepiscopi dicebantur, regnante Carolo M. motae sunt quaerelae. Multis illi fungebantur actibus, qui, quum ad ordinem pertinerent episcopalem, ab ipsis, qui veri episcopi non erant, peragi non poterant. Miserat Carolus ad Leonem Pontificem, eius hac re inquirendae sententiae causa Arnonem Archiepiscopum Iuuauientem. Respondebat Papa, rem iam olim in conciliis esse decisam, episcopos villanos damnabat, et exilio mulctari iubebat. Mitius cum illis egit Synodus Ratisbonensis, quae ad ordinem presbyterorum illos redegit, et, quae ab illis acta fuerant, nulla declarauit, simulque, ne, quod ordinis episcopalis esset, in posterum susciperent, seuerè pro-



prohibuit. Synodi decreta a. 1000. capitulari confirmavit Carolus.

STEPH. BALYZIVS in capitulas. Regum Franc. t. 1. p. 1080.

§. II.

Sed ut haec distinctius intelligantur, post viros doctissimos, qui de chorepiscopis scripserunt, veluti Dionys. Petauium, Blondellum, Petrum de Marca, Caueum, Hammondum, Barlovium, Binghamum, Basnagium, Thomassinum, Suicerum et Franc. Ant. Knittel meam quoque symbolam adiiciam, triplicem chorepiscoporum notaturus significationem.

§. III.

Ruri iam inde a saeculo primo ecclesias fuisse, egregie ostendit Franc. Ant. Knittel. Hae vel urbis episcopo suberant, vel, si qua urbs, quod in Asiae et Africae regionibus accidere facile poterat, non erat, toti regioni praeficiebatur episcopus, qui certam, fixamque non habebat sedem; sed a χώρα, regione, cui impositus erat, dicebatur chorepiscopus, qui, quamvis propter sedis dignitatem, ex qua post prima ecclesiae christianae tempora episcopos aestimare solebant, urbis episcopo videretur inferior, verus erat episcopus, et propriam habebat dioecesin, Sententiae meae probanda causa, omittis aliis, unicum ex Athanasii Apolog. 2. contra Ischyram adducam locum: Μαρεωτης της Αλεξανδρειας εστι, και εδεποτε εν τη χωρα γεγονεν επισκοπος, εδε χωρεπισκοπος, αλλα τω της Αλεξανδρειας επισκοπω αι εκκλησιαι πασης της χωρας υποκεινται, εναςος δε των πρεσβυτερων εχει τας ιδιαις κωμας μεγα-
σας,


τας, καὶ ἀριθμῶ δεκά, καὶ πλεονας. Ἡ δὲ κομνη, ἐνθα οἰκεῖ ὁ Ἰσχυρας, βραχυτατη, καὶ ὀλιγων ἀνθρώπων ἐστὶ. Marcotis regio ad Alexandriam pertinet, et nunquam in hac regione fuit episcopus, nec chorepiscopus, sed episcopo ALEXANDRINO ecclesiae totius regiminis suberant. Quilibet autem presbyter proprios. (id est, sub se) habebat vicos maximos, numero decem, aut plures. Vicus autem, ubi habitat Ischyras, perquam exiguus, et paucorum hominum est. Ex hoc loco concludi potest,

- 1) chorepiscopos fuisse regioni, non vrbi impositos
- 2) veros fuisse episcopos.
- 3) vicinae vrbis episcopo non subfuisse.
- 4) vicis regionis, quae ad vrbis dioecesin pertinebat, presbyteros ab episcopo vrbis fuisse praefectos.

1) FRANC. ANT. KNITTEL in *prisca ruris ecclesia*. 2) DAV. BLONDEE in *Apologia pro sententia Hieronymi* pag. 127. et 93. hoc loco etiam usus est, ut probaret, chorepiscopos fuisse veros episcopos, quamvis sententiae eius non plane accedam.

§. IV.

Idem, vitam Bonifacii ab Othlono conscriptam legendo de archiepiscopis obseruavi, qui, quum certam et fixam in aliqua metropoli non haberent sedem, prouinciae tamen praeficiebantur, et fiebant regionarii. Bonifacius scilicet, qui insigniter de conuersione Germanorum meruerat, vagi atque incerti loci, Moguntia nondum in metropolin erecta, a Gregorio III. creatus est archiepiscopus. Inscriptio epistolae a Gregorio ad ipsum missae haec probat, et ita se habet:



REVERENDISSIMO et SANCTISSIMO fratri COEPISCOPO ad illuminationem gentis Germaniae - - - ab hac Apostolica Dei ecclesia directo GREGORIVS &c. deinde verba ipsius epistolae: tibi sacri pallii direximus munus - - atque inter archiepiscopos vnus, Deo auctore praecipimus, vt censearis: id, quod dixi, confirmant.

Orblonus in vita Bonifacii apud Ioannis. rer. Mogunt. t. 1. p. 222. et quae ibi notata sunt.

§. V.

Est et alia chorepiscoporum significatio. Accidebat nempe saepius, vt episcopi ad certum titulum, seu ecclesiam ordinati, illam adire non possent, qui ideo σχολαιοι, vel σχολαζοντες vocabantur. Hi etiam erant veri episcopi; sed sine ecclesia.

Petrus de Marca, in concordia Sacerd. et Imp. 1. II. c. XIII.

§. VI.

Quod si itaque episcopi erant, qui munere ordinis sui vel propter senectutem vel morbum, vel aliam aequae grauem rationem fungi non poterant, eorum opera utebantur. Hi olim rariores; sed, postquam desidia, delicatior vitae ratio et luxus, quid quod ordinis episcopalis neglectus inuasit ecclesiam, hodie sunt frequentissimi, et omnes ad titulum seu ecclesiam in partibus infidelium vel haereticorum ordinati. Inualuit enim in ecclesia Romana principium, nullam, quae olim ad orbem christianum pertinuit,

tinuit, auelli posse ecclesiam. Apud nos dicuntur *Weib-Bischof*.

MALE a WICK vocabulum *Weib-Bischof* deducitur, vide Franc. ANT. KNITTEL in *prisca raris ecclesia*.


§. VII.

Accedo nunc ad tertiam chorepiscoporum significationem. Rariores olim erant episcopi *σχολάζοντες*, seu vacantes, ut ipsorum opera episcopi vel desides, vel ignorantes, vel delicatuli vel etiam propter amplissimas dioeceses quotidianis ordinis episcopalis actibus impares vii non possent. Hinc presbyteris quosdam ordinis sui actus committebant, ut vices ipsorum ruri praesertim obirent. Hinc etiam dicebantur chorepiscopi vel episcopi villani. Hi veri episcopi non erant; sed tantum presbyteri. Quia vero actus ordinis episcopalis peragebant, scrupulus inde hominum mentibus iniiciebatur, num actus eiusmodi essent validi. Secutae inde querelae, quae efficiebant, ut in synodo Ratisbonensi a 1000000 chorepiscopi, seu episcopi villani ex ratione, quod veri episcopi non essent, prohiberentur, et functione actuum ordinis episcopalis recte interdicerentur, id quod capitulari confirmavit Carolus M.

WALYFIVS lococit et ECCARDVS comm. de rebus Franc. r. II.

§. VIII.

Haec prohibitio iam olim facta, in multis postea conciliis repetita id effecit, ut episcopi villani tandem gradu, deicerentur. Liqueet ergo, Blondellum hypothesi suae inhae-



inhaerentem, omnes chorepiscopos fuisse veros episcopos, Carolum et concilia perperam erroris arguere.

Haec praefatus sine ambagibus, accedo nunc ad rem, cuius causa hanc scriptiunculam institui, scilicet vt

CANDIDATI PRAENOBILISSIMI
NICOLAI GERHARDI FEYGA,
 HAMBVRGENSIS

dissertationem inauguralem indicerem. Quis vero ille sit, et quem studiorum cursum tenuerit, vt lectori pateat, vitam eius, ab ipso conscriptam hoc loco edo

Ego NICOLAUS GERHARDVS FEYGA natus sum d. XI. Octobris
 Anni MDCCXLIII. in agro Hammensi, qui prope ab Hamburgo,
 in eiusdem territorio situs est. Parentes optimos, etiamnum di-
 uina gratia superstites, veneror Virum de ecclesia praecclare me-
 rentem, nunquam mihi satis laudandum, MICHAELEM GER-
 HARDVM FEYGA, tum temporis in eodem agro verbi diuini
 ministrum, nunc Hamburgi Archidiaconum ad aedes sacras S. Ni-
 colai; matrem CATHARINAM ELISABETAM e gente WEST-
 PHAL, mercatoris honestissimi filiam, ad cineres vsque mihi vene-
 randam. A primis autem inde temporibus parentibus carissimis
 hoc semper curae cordique fuit, vt potissimum disciplina christia-
 na, tum etiam iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanita-
 tem informari solet, instrueret. Quemadmodum autem a Musis
 non

non plane abhorrere patri optimo visus sum; ita literarum, in-
 primis sacrarum, studiis me dicavit. Proinde heci Hambur-
 gensis, quod Ioanneum vocatur, praeceptoribus classium inferiorum
 me erudiendum tradidit, ex quorum institutione eum perce-
 pi fructum, ut bene praeparatus primam classem adire possem, ubi
 utriusque MULLERI, Rectoris nimirum et Conrectoris, Virorum
 doctissimorum in me merita gratissima mente recorder. Tan-
 dem, cum literis sacris operam dare animo intendissem, hoc con-
 silio Gymnasium patrium frequentare coepi. Ibi per triennium scho-
 lis interfui Virorum humanitate pariter atque doctrina excellentium
 BVSCHII, WUNDERLICHII, NOELTINGII, SCHVTZII
 nec non pie defunctorum WOLFII atque, cuius laudes nulla un-
 quam obscuratura est obliuio, REIMARI. Tum consueto more
 curriculi academici feci initium. Lipsiam nimirum, Musarum
 sedem celeberrimam salutavi anno MDCCCLV. fascies academi-
 cas gerente Magnifico atque Excellentissimo PLAZIO, Med. D.
 Celeb. Hic fundamentis iamiam positis indies plus superstruere ni-
 sus sum. Operam autem nauavi studio philosophico, mathematico,
 physico, non neglectis, quae humaniora dici solent. Familiars
 mihi reddere laboravi linguas Orientales, Hebraicam potissimum
 et Graecam. Neque studio historico defui. Doctrinam morum
 eum philosophi tum hominis christiani saepius audiui. Imprimis do-
 Ebrinae sacrae, quam Dogmaticam vocant, studium multis antepo-
 nendum iudicavi, additis ecclesiae historia et controuersis. Tan-
 dem etiam scholis hermeneuticis, homileticis ac symbolicis, nec non
 collegiis stili tam Germanici quam Latini interfui, Quarum re-
 rum



rum cognitionem acceptam refero Viris omni laude mea maioribus, ex quibus nominasse sufficiat summe Reuerendos CRYSIVM, ERNESTI, BYRSCHERVUM, DATHIVM, RICHTERVUM, FAHRDTIVM; plurimum Reuerendum SCHARFFIVM; Praenobilissimos WINCKLERVM, BOSSECKIVM, SCHWABIVM, SCHMIDIUM atque omnium desiderii nimis mature morte ereptum GELLERTVM. Triennio ibi peracto studiorum sedem commutare, aliorumque magni nominis Virorum disciplinas in usum meum conuertere haud inutile duxi. Goettingam igitur profecto ciuitatem academicam mihi dedit Magnificus atque Excellentissimus AYRER. Neque consilii huius unquam me poenituit. Non enim sine emolumento praeter cetera repetitioni Theologicae dogmaticae et historiae ecclesiasticas, collegiis philologicis et exegeticis in vtriusque Testamenti libros operam dedi. In quibus praecipuos doctores habui S. V. WALCHIVM atque Excellentiss. MICHAELIS. Vnius anni tempore ibi praeterlapso, cum per quadricennium iam studiis academicis imbutus essem, in patriam demum redii. Quum autem partim singulari quodam instinctu ad Theologiae studium amplectendum nunquam essem commotus; partim rerum sacrarum ministerio, aliquando forte mihi subeundo, nimisque quibus coniunctum est laboribus sustinendis, difficultatibus superandis, re accurata animi lance ponderata, impar esse mihi viderer; partim pectore haud satis valido a natura me instructum tum demum sentirem: satius duxi, aliud studiorum genus eligere, tam naturae quam viribus et desiderio magis conueniens. Palmam dedi Iurisprudentiae. Optimorum igitur parentum consensu, per semestre spatium domi commoratus, Lipsiam ite-

rum

rum me contuli Anno MDCCLXIX. Vbi quidem nouum copiosissimae doctrinae spatium metiendum inueni. Hoc autem quod celerius curriculum absoluerem, haud parum mihi profuit, quod, missis ambagibus, quibus alias circumduci debent iuris studiosorum tirores, statim rectam viam ingredi possem. Quare praetermissis collegiis philosophicis, mathematicis, physicis, neque repetita cultura tam sermonis patrii quam linguarum exoticarum, iis tantum operam dedi, quae ad solam iurisprudentiam pertinent. Propterea in historia iuris Rom. Institutionibus et Pandectis cognoscendis occupatus fui, non neglectis vtriusque posteriorum repetitione. Porro Struuii iurisprudentiam Rom. Germ. Historiam S. R. I. ius publicum tam vniuersale quam particulare, ius Germanicum, Canonicum et Criminale, doctrinam de Actionibus et Processum iudicarium docentes audiui. Quibus cognoscendis ansam mihi praebuerunt Viri Praenobb. atque Excell. BOEHMIVS, ZOLLERVS, SEGERVS, BREVNINGIVS, SCHOTTIVS, SAMTIVS, quorum omnium illustris est meritum atque eruditionis fama. Iuris autem scientiam quam Lipsiis biduo cohaussem, Ienam tandem vniuersitatis laude longe florentissimam, iustos in vtroque iure honores petiturus. Cui desiderio et satisfieret, Virorum Ordinis in iudicio Celeberrimorum examina, qua par est obseruantia, rogati.

Fine studiis academicis imposito, Ordinem Istorum Candidatus noster adiit, et, vt ad consueta pro summis in vtroque iure obtinendis honoribus admitteretur examina, etiam atque etiam ab eo petiit. Precibus honestissimis incluctus ordo annuit, et admissus talem se praestitit, vt dignus iudicatus



catus sit, cui cathedra dissertationis inauguralis caussa aperiatur, quam *de iustitia poenarum, capitalium, praesertim in crimine furti periculosi et tertii secundum constitutionem Carolinam et ius Hamburgense* sub praesidio D. IO. AVGVSTI HELLFELLD, Codicis et Nouellarum P. P. O. Consiliarii Regiminis intimi, Collegae coniunctissimi d. XVIII. Ianuarii in auditorio Istorum habebit. Quem actum, vt Vos, ReCTOR Magnifice, ReCTOR Magnifice designate, Patres Academiae conscripti, Ciues omnium ordinum honoratissimi, et denique omnes litterarum Fautores, praesentia vestra ornare velit, Vos Ordinis mei nomine ea, qua par est, obseruantia rogo. Scribebam Ienae d. XIII. Ian.

CICIDCCLXXII.




Jena, Diss., 1772-74



f
56.





1772, 6 ~~1772~~ 7

IOACH. ERDMANN SCHMIDT, D.

ORDINIS ICTORVM H. T. DECANVS

PROGRAMMA

DE

EPISCOPIS VILLANIS
A CAROLO M. PROHIBITIS,

QVO

VIRI PRAENOBILISSIMI

NICOLAI GERHARDI FEYGA,

HAMBVRGENSIS

DISPVATIONEM INAUGVRALEM

DE

IYSTITIA POENARVM CAPITALIVM PRAESERTIM
IN CRIMINE FVRTI PERICVLOSI ET TERTII
SECVNDVM CONSTITVTIONEM CAROLINAM ET
IVS HAMBVRGENSE

DIE XVIII. IANVARI

SVB PRAESIDIO

VIRI PERILLVSTRIS

IO. AVG. HELLFELD

IN AVDITORIO ICTORVM HABENDAM
INDICIT.

JENAE, LITTERIS MAVKIANIS
C1D1CCCLXXII.